



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 3. Protestantium exercitus, ejusque Belliduces.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

§. III.

Sæcul. XVI.
A C. 1546.*Protestantium exercitus, ejusque
Belliduces.*

Enimvero præter trecenta Belli tormenta Protestantium exercitus octoginta peditum & plusquam decem equitum millia recensebat, ac insuper superioris Germaniæ urbes unacum Wirtembergensi Duce, quascunque possent, suppetias Saxonix Electori & Landgravio offerebant, magnumque militum numerum conduxerunt, ex quibus duo conflarunt agmina, quorum primo circiter viginti quatuor legionibus valido Ulricus Princeps præerat, alterum vero urbium sumptibus alebatur. Hæ copix, cum sese validiori Protestantium exercitui jungere juberentur, die vigesima prima Junii Ulmam contenderunt. Equidem Saxonix Elector inflatus gloria, qua se tam numerosæ factionis indies auctæ caput esse jactitabat, ingentes victorias sibi pollicebatur: ast præprimis necesse erat, ut præpediret, ne Pontificis copix, & sex Hispanorum millia ex Neapoli ac

A 3

Me-

damus, Et ut sanguinariorum consilia retundat, ac nominis sui Majestatem, magis atque magis illustrem faciat, precamur.

Sæcul. XVI. A.C. 1546 Mediolano adducta sese Cæsareo exercitui jungerent; id quidem efficere summa Protestantium cura erat, irrito tamen conatu; quippe non modo Veneti, & Tirolenses, sed etiam Grifones, quibus confœderati hac super re scripserant, eorum preces flocci habebant, quocirca hæ copię Cæsareis feliciter fuerunt conjunctæ, nec magis optatum fortitæ sunt successum Protestantium literæ, quas ad Helvetios perscripserunt.

§. IV.

Pontificis literæ ad Helvetios.

*Sleid. p. 945
Thuan. hist.
l. c.*

Interea summus Pontifex ad Helvetios, ut eorum animos ad acceptandam Synodum inclinaret, perbenigne hunc in modum perscripsit: *Cum vos summa complectar benevolentia, simulque firmam, qua vestri Majores Sedi Apostolicæ adhæserunt, conjunctionem considerem, merito deploro, vestrum quosdam per insidias diaboli, & perturbatores legum, avulsos esse ab Apostolica Religione, & a me, tanquam charissimos filios e sinu & complexu amantissimi parentis: veruntamen magnum est Dei beneficium, quod ex vobis multi permanserint constantes in fide erga Deum & Ecclesiam, quo videlicet alii, qui sermonibus improborum decepti sunt, exemplum habeant*